

CAPUT III.

NOTIO ENTIS

RESPECTU SUORUM INFERIORUM CONSIDERATA

Quam perspicua videtur notio entis in se inspecta, tam difficilis apparet attente contemplantibus eam per comparationem ad diversas, in quas dispescitur, rerum classes et varia genera sub ejus amplissima extensione contenta. Prius ergo quam ad entis proprietates investigandas procedamus, operæ pretium est inquirere, quomodo se habeat illud respectu suorum inferiorum, num imbibatur in illorum notione, vel utrum formaliter transcendat suas differentias, num præscindat ab eis in suo conceptu, quomodo contrahatur in peculiaribus rerum generibus, et utrum denique sit univoca vel æquivoca vel analogica. De quibus omnibus seorsim est disputandum.

ARTICULUS I.

Utrum ens transcendat formaliter omnes differentias suas.

43. Controversia hæc tacta est in superioribus (1), cum generatim ostendimus notionem entis nominaliter sumpti esse prædicatum essentialiter tum Dei tum naturarum omnium creatorum; ibi tamen accuratior abstrusæ quæstionis tractatio remissa in hunc locum est.

Notare autem debes ante omnia, hic non quæri, an ens quomodocumque transcendat omnes differentias, sed an *formaliter* transcendat. Quod ut intelligas, revoca in mentem ex Dialectica, eas vocari notiones transcendentis, quæ prædicari seu affirmari de omnibus possunt. Transcendere autem

Statu
questionis.

Quid sit formalis
transcendentia.

(1) Cap. 1. n. 1, prop. 4.^a

alia formaliter est, non utcumque prædicari posse de illis, sed prædicari essentialiter vel tamquam aliquid spectans ad essentialiter illorum, unde ratio formaliter transcendens comprehenditur atque imbibitur in conceptu essentiali et quidditativo illorum omnium, de quibus prædicatur. Id quod locum non habet in infinitis prædicationibus, quæ subjecto attribunt formam aut notam aliquam accidentalem, ut cum capacitas doctrinæ prædicatur de homine, quantitas de corpore, et ita de aliis.

Jam quidquid spectat ad essentialiter, vel comprehenditur in conceptu quidditativo alicujus naturæ exprimitur per definitionem illius proxime vel remote, immediate vel mediate. Sic quoniam essentia hominis est *animal rationale*: et animalis, *vivens sensitivum*; et corporei viventis, *corpus ab intrinseco se movens*; et corporis, *substantia composita ex materia et forma*; hæc omnia prædicata spectant ad essentialiter illius directe ac per modum constitutivi, et consequenter dici possunt transcendere conceptum hominis, et sunt, ut patet, definitiones hominis, quia per omnia illa declaratur essentia ipsius, per alia quidem proxime, immediate et adæquate, per alia vero mediate tantummodo, remote atque inadæquate. Ergo proprium est notionis formaliter transcendentis, ut sit definitio atque explicatio, sive immediata sive mediata, adæquata vel inadæquata et partialis, eorum omnium, quæ transcendit, seu in quorum conceptu essentiali comprehenditur atque involvitur (1). Ac proinde inter rationem formaliter transcendentem ac naturam, quæ transcenditur, nequit dari propria et stricta distinctio rationis, saltem mutua, quia hæc non stat nisi inter conceptus definitive diversos, quorum nempe unus non sit explicatio, aut saltem pars explanationis alterius; potest nihilominus dari impropria et imperfecta distinctio rationis, quam vocant penes *explicitum* et *implicitum*, qualis solet admitti inter definitionem ac rem definitam.

Nota secundo controversiam hanc investigare, utrum ens transcendat formaliter *differentias* et *modos* quorumcumque realium entium, nimirum notas illas simplicissimas ac

In quo reposita
sit præcipue rei
difficultas.

(1) Lossada, *Metaph. disp. 1 cap. 4, n. 67.*

determinationes, quæ indeterminatam et communiorem aliquam notionem contrahentes, varia conflant rerum genera. Etenim «quæstio difficultatem non habet in entibus completis, vel quæ per modum completorum entium ab intellectu concipiuntur, ut sunt omnia individua, species et genera, quæ directe in aliquo prædicamento constituuntur, usque ad summa genera; nam in hæc dividitur ens, et de illis essentialiter prædicatur, et consequenter de omnibus aliis inferioribus, quæ sub his continentur. Deinde non solum de completis entibus et conceptibus, sed de quibuscumque partialibus vel incompletis entibus, quæ resolubilia sunt in plures conceptus reales, est etiam indubitatum, in eis intime et essentialiter includi ens; quia si sunt resolubilia in plures conceptus reales, ergo ut minimum debent resolvi in conceptum entis, qui est universalissimus omnium» (1). Non est autem æque certum atque indubitatum, rationem entis essentialiter includi in ipsis modis ac differentiis, quæ simplicissimæ sunt, ac proinde irresolubiles in alios conceptus, itemque in passionibus seu attributis entis, puta unitate, veritate, bonitate. Immo id videri alicui possit omnino impossibile. Nam ejusmodi differentiæ ac passionis vel addunt aliquid supra ens vel non addunt: si non addunt, quomodo diversificant rationem entis? Si autem addunt, sunt aliquid præter essentialitatem entis, ideoque non est ens, saltem formaliter. Et confirmatur exemplo differentiarum individualium respectu speciei, ac specificarum respectu generis. Nam neque *rationalitas* v. g. continet in sua essentia animalitatem, nec est definibilis, sive immediate sive mediate, per animalitatem; nec *Petraitas* vel *Pauleitas* per humanitatem. Et augetur difficultas, quia si omnes differentiæ sunt essentialiter ens, nihilque habent, quod non sit essentialiter ens, sequitur nihil posse ab alio discriminari, sed omnia unum esse idemque. Si enim omnia conveniunt in ratione entis, nec inter se discriminari possunt, nisi per differentias; si hæc quoque sine vere, imo essentialiter ens, undenam, quæso, aut quomodo diversitas in rebus existere valeat?

(1) Suar. disp. 2, *Metaph.* sect. 5, n. 1. Cfr. quæ dicta sunt in *cap. 1, a. 1, prop. 4.*

Est ergo hac de re prima sententia celeberrimi Scotistarum, dicentium ens non includi in formali et quidditativo conceptu modorum, quibus ad decem prædicamenta contrahitur, nec in conceptu differentiarum, saltem *ultimarum* (1), ac passionum suarum; atque ideo ens de illis non prædicari in *quid* ac tamquam aliquid pertinens ad essentialitatem rei in primo modo dicendi per se (2), sed tantum realiter et identice, quemadmodum exponit nobilis scotista Matrius (3). Ita sentiunt communissime Scotistæ cum Subtili Doctore apud Matrium, qui tamen conqueritur non deesse inter suos, qui aut clamoribus adversariorum perterriti communem Magistrum desererent (4), aut doctrinam contra sensum veteriorum et candidiorum scotistarum ita temperarent (5), ut si non ex toto, saltem ex parte adversariis victas darent manus, ac potius Doctorem suum in horum opinionem traherent invitum, quam pro virili, ut par erat, tuerentur (6).

Cum Scotistis etiam concordant quidam e nostris, ut Arriaga (7), Semery (8) alique (9), opinantes perseverantem, v. g. quæ est modus constituens substantiam, minime

Varia sententiarum
prima
Scotistarum

(1) «Differentia alia est *ultima*, inquit Dupasquier, alia est *non ultima*. Ultima dicitur ea, quæ adeo simplex est, ut non supponat pro re, a qua sumitur, sed pro seipsa in abstracto, ita ut non sit resolubilis in plures conceptus. Non ultima vero est ea, quæ supponit pro forma seu re, a qua sumitur, estque resolubilis in plures conceptus. Ista includit ens, illa minime: v. g. si rationale vel rationalitas supponat pro anima rationali, est differentia non ultima, et sic ut ens prædicatur de anima, ita et de rationali in concreto, imo et de rationalitate in hoc sensu; sed si sumatur abstractissime et pro gradu illo metaphysico, per quem animal contrahitur ad hominem, est ultima». Dupasquier *Summa Philosoph. Scholast. et Scotistica*, tom. 2, disp. 2, quæst. 5 ante conclusionem. Cfr. Suar. disp. 2 *Metaph.* sect. 5, n. 2; Lossada, disp. 1 *Met.* cap. 4, n. 75; Mastr. *Metaph.* disp. 2, q. 7, art. 1, n. 183.

(2) Vide diversos modos dicendi *per se* in *Lógica*, n. 237.

(3) *Metaph.* disp. 2, q. 7, art. 1, n. 178.

(4) *Ibid.* n. 176.

(5) *Ibid.* n. 178.

(6) *Ibid.* n. 177.

(7) *Logic.* disp. 11 sect. 8.

(8) *Logic.* disp. 4 q. 3, a. 1.

(9) Apud Lossada loc. cit. n. 74.

includere in se rationem entis, sed præscindere ab ea, ideoque non esse ens *formaliter* et *ut quod*, licet sit ens *ut quo*; et pure constitutive, quia nimirum constituit substantiam, quæ est ens determinatum. «Unde perseitas, inquit, est aliquid, est possibilis et chimære opposita, pure *ut quo*; cæterum *formaliter* et *ut quod*, nec est aliquid, nec nihil, nec possibilis nec impossibilis, sed ab his omnibus extremis præscinditur, solumque formaliter includit prædicata *differentiæ* vel *modi intrinseci*, *contractionis*, *talitatis* et similia, quia per ea definitur» (1).

altera
reliquarum scho-
larum.

Contrarium sentiunt cæteri Philosophi communissime in omni schola, tum veteres tum recentiores, nec solum Thomistæ verum et Averroistæ ac Nominales omnes, quemadmodum refert ipse Matrius (2). Ita nominatim S. Thomas (3), Cajetanus (4), Ferrariensis (5), Sotus (6), Suarez (7), Fonseca (8), Vazquez (9), Rhodes (10), De Benedictis (11), Franciscus Alphonsus (12), Hurtadus (13), Lossada (14) aliique apud eundem. Horum nos amplectimur etiam sententiam.

44. PROPOSITIO. Ratio entis formaliter transcendit omnes differentias modosque positivos, ita ut in illis omnibus essentialiter includatur, atque imbibatur.

Nota autem ideo in hac thesi non fieri expressam mentionem passionum vel attributorum entis, de quibus etiam

- (1) Lossada loc. cit. n. 74.
 (2) Ibid. n. 175.
 (3) Locis infra citandis.
 (4) Opuscul. de Analog. nomin. c. 4-6; Comment. sup. Opuscul. de Ent. et essent. cap. 1, q. 2.
 (5) In lib. 1.^{um} Contr. Gent. c. 34 post. med. Circa hanc difficultat.
 (6) In Antepædicam., cap. 4.
 (7) Disp. Metaph. 2, sect. 5.
 (8) Lib. 4 Metaph. cap. 2, quæst. 3, sect. 2, conclus. 2.
 (9) In 1.^{um} part. disp. 22, cap. 5, n. 9 et disp. 121, cap. 2.
 (10) Philos. perip. lib. 4, disp. 2, q. 1, sect. 3.
 (11) Philos. perip., tom. 1, Logic., lib. 2, quæst. 3, cap. 5, paragr. 1, Dico 2.
 (12) Logic., disp. 13, sect. 6.
 (13) Metaphys., disp. 2, sect. 4.
 (14) Loc. cit. cap. 4, n. 74 seqq.

solet similis institui quæstio; quia nondum investigavimus, an hæc formaliter importent aliquid positivum ratione quodammodo distinctum ab ente, an solam negationem vel ens rationis; qua de re in utramque partem disputatur. Nihilominus ex formali entis inclusione, quam propugnabimus, patebit etiam, quid dicendum sit de inclusione in passionibus seu attributis ejusdem. Vel enim sunt hæc positiva vel non: si non sunt, plane non includunt ens, siquidem quod nihil est in re, nequit esse essentialiter ens reale. Si vero sunt positivum quiddam, veram habent rationem modorum positivorum, atque adeo sunt formaliter ens.

Probatum jam propositio 1.^o Illud essentialiter ac formaliter includit rationem entis, cujus conceptus objectivus *realitatem aliquam* seu *realem essentiam* menti repræsentat et commonstrat, in hoc enim extat notio entis, superius descripta. Atqui quævis differentia modusque positivus contrahens ac determinans rationem entis menti exhibet in suo conceptu objectivo realitatem aliquam vel realem essentiam (1). Ergo.

Minor probatione non eget. Secus enim mens differentias contemplans v. g. *perseitatem* vel *aseitatem*, nihil reale contempleretur, sed purum non ens.

Dices 1.^o differentias esse formaliter *non ens*, non quidem negative, sed præcise, quatenus præscindunt ab hoc, quod sint ens vel non ens, possibile vel impossibile, reale vel chimæricum.

Resp. neg. assertum. Nam si differentiæ sunt hoc modo *non ens* præcise, indifferenter se habent quantum est de se, ad hoc quod sint ens vel chimæra. Atqui omne id quod, quantum est de se non pugnat, ut sit chimæra, seu indifferenter se habet ad chimæram, manifesta chimæra est (2).

Dices 2.^o prædictas differentias non esse *ens ut quod*, sed solummodo *ut quo*, seu aliquid entis, constituit enim ens. Sic etiam v. g. anima non est corporea *ut quod*, est autem *ut quo*, quia est actus constituens corpus aliquid completum.

- (1) Vide Suarez, loc. cit. n. 8.
 (2) Vide P. de Benedictis, loc. cit. arg. 4.

Resp. «Sed hæc responsio solum videtur in verbis consistere, quoniam esse *ens ut quo*, nihil aliud est, quam esse formam seu actum realem in metaphysica constitutione seu compositione. Nulla autem potest esse forma vel actus realis alicujus, nisi in se sit aliquid reale, quod est esse ens reale. Ergo repugnat dicere aliquid esse reale *quo*, et non ens ut *quod*: nam illud *quo* in hujusmodi *quod* necessario fundari debet» (1).

Prob. 2.^o Omnis differentia entis, si sufficienter penetratur, nequit non apparere intellectui ut ens. Ergo est essentialiter ens.

Prob. ant. Omnis differentia concipitur tamquam constitutum entis in aliqua determinata ratione. Ergo vel est et cogitatur ut aliquid positivum et perfectionem aliquam involvens, vel pure negativum nullamque involvens perfectionem. Si pure negativum, nihil est, nec valet proinde constituere reale ac positivum ens. Si autem est et cogitatur ut positivum ac perfectivum, necessario cognosci debet, ar menti apparere, si rite pendatur, ut aptum ad existendum.

Prob. 3.^o Ens transcendit formaliter omnes differentias modosque positivos, si omnes hujusmodi differentiae ac modi sint definibiles per ens. Atqui sunt. Ergo...

Prob. 4.^o Quidquid habet attributa passionisque entis, ens est essentialiter, nam passiones et attributa naturæ alicujus non reperiuntur extra illam. Sed omnis differentia et modus est in seipso indivisus, ideoque unus; est per se intelligibilis, ac proinde verus; habet suam definitam perfectionem et convenientiam cum proprio subjecto, et consequenter est bonus. Unum autem, verum et bonum sunt attributa entis, ut inferius videbimus. Ergo... (2)

Hanc doctrinam sæpe tradidit Aquinas, eaque usus est ad ostendendum discrimen inter rationem entis communissimam et genericas aut specificas rationes. *Ostendit Philosophus* (3) inquit, *quod ens non potest esse genus alicujus, omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam gene-*

(1) Suarez, loc. cit. n. 8.

(2) Cfr. Suarez, loc. cit. n. 11.

(3) Lib. 3, *Metaph.* text. 10.

ris; nulla aulem differentia potest inveniri, quæ sit extra ens, quia non ens non potest esse differentia (1). Et alibi: *Enti non potest addi aliquid, quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi vel accidens subjecto, quia quælibet natura essentialiter est ens* (2) Item: *Illud quod primo cadit in apprehensione intellectus est ens, cujus intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit* (3). Et iterum: *Ens non potest esse alicujus genus, ut probat Philosophus* (3.^o *Metaph.* text. 10), *cum nihil possit addi ad ens, quod non participet ipsum; differentia vero (generica) non debet participare genus* (4). Præterea: *Ens alio modo se habet ad ea, quæ sub ente continentur; ens alio modo animal vel quodlibet aliud genus ad species suas. Species enim addit supra genus, ut homo supra animal, differentiam aliquam, quæ est extra essentiam generis. Animal enim nominat tantum naturam sensibilem, in qua rationale non continetur. Sed ea quæ continentur sub ente, non addunt aliquid supra ens, quod sit extra essentiam ejus* (5). Et alibi: *Sicut in demonstrationibus resolvere oportet omnes propositiones usque ad principia ipsa, ad quæ necesse est stare rationem; ita in apprehensione prædictorum oportet stare ad ens, quod in quolibet cognito naturaliter cognoscitur, sicut et principium in omnibus propositionibus, quæ sunt post principia continentur. Unde oportet omnia alia aliquid addere ad ens, quod de intellectu entis non sit. Nihil enim addere possunt de cujus intellectu ens non sit* (6). Ac tandem in alio loco: *Opinio Avicennæ fuit, quod unum et ens semper prædicant accidens. Hoc autem non est verum, quia unum prout convertitur cum ente, signat substantiam rei, et similiter ipsum ens. Sed unum prout est principium numeri, signat accidens* (7).

(1) 1 p. q. 3. a. 5. Cfr. lib. 5.^o *Metaph.* lect. 9, paragr. c; de Pot. q. 3, a. 16, ad 4.^{um}

(2) Quest. 1 de Verit. a. 1. Cfr. *Met.* lib. 4, lect. 2, paragr. b, c.

(3) 1. 2, quæst. 94, art. 2. Cfr. *Opusc. de Natura Generis* cap. 1, fin.; *Summ. totius Logic.* Aristot. tract. 1, cap. 5.

(4) Quest. 7 de Pot. a. 3 ad 4.^{um} Cfr. 1.^o *Contr. Gent.* cap. 25; *Quod autem ens non possit*; 3.^o *Metaph.* lect. 8, paragr. k; lib. 11, lect. 1, paragr. m.

(5) De Potent., quæst. 3, art. 16 ad 4.^{um}

(6) De Natur. generis, cap. 2 ab initio.

(7) Quodlibet 12, a. 5.

Ens prædicari
potest etiam
in abstracto
de quavis alia
ratione.

COROLLARIUM 1.^{um} Ens prædicari posse formaliter de omnibus rationibus tum in concreto, tum in abstracto, secus ac fit in aliis notionibus non transcendentibus. Sic verissime dicitur: *Animalitas est ens*, et non solum: *animal est ens*. Ita etiam dicitur: *Humanitas est ens*; *Rationalitas est ens*; *Petritas est ens*; *Perséilas est ens*, quia nihil positivum ac reale fingi potest, de cuius essentia et conceptu non sit ens. Ergo quamvis abstracta significant ipsas essentias ac rationes rerum, potest nihilominus de iisdem prædicari non solum identice, verum etiam formaliter (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

45. **Objic. 1.^o** Conceptus compositus ex determinabili ac determinante, seu ex potentia et actu, debet resolvi in partiales conceptus primo diversos, atque invicem præscindentes, ut patet ex similitudine compositi physici, quod ex partibus penitus distinctis coalescit. Secus enim nec foret ulla vera compositio. Atqui ratio entis et ratio ultimæ differentiæ se habent ut determinabile ac determinans, ut potentia et actus, ex quibus coalescat compositum metaphysicum entis completi. Ergo (2).

Resp. dist. Maj.; conceptus proprie compositus, *trans.*, conceptus qui solum improprie vocari potest compositus, *neg.*

Et *contradist. Minor., neg. conseq.* Verum hujus rei explicatio pendet ex questione, mox tractanda circa modum, quo entis notio in inferiora contrahitur. Ibi enim probandum est contractionem hujusmodi fieri non per compositionem, sed per modum expressioris conceptus, atque adeo notionem entis in inferioribus non facere compositionem veri nominis cum suis differentis, sed tantum magis determinari ac declarari.

Objic. 2.^o Differentiæ certe discriminantur inter se. Ergo vel conveniunt invicem in conceptu quidditativo entis,

(1) Vide S. Thom. *De Verit.*, quest. 21, art. 4 ad 4.^{um}

(2) Ita fere Scotus apud Suarez, disp. 2 *Met.* sect. 5, n. 4. Cfr. Dupasquier, loc. cit. *Prob.* 2.^a

vel non. Si non conveniunt, non sunt essentialiter ens, cum non includant formaliter ens; si enim includerent, jam convenirent, secundum illam rationem. Si autem conveniunt, ergo ratio, per quam differunt est diversa ab ea, per quam conveniunt; nihil quippe differt ab alio per id ipsum, per quod, cum eo convenit: et sic jam illæ differentiæ non essent simplices nec ultimæ. Itaque de illa ratione, per quam ipsæ differentiæ differunt invicem, quæro, num includat formaliter conceptum entis, necne. Si non includit, habeo intentum; si autem includit, iterum illa ratio in duas alias resolvitur, atque ita sine fine procedendum erit, nisi velimus sistere in aliqua differentia simplicissima vereque ultima, quæ non comprehendat essentialiter rationem entis (1).

Resp. 1.^o retorqueo argumentum. Ipsæ differentiæ, quantumvis ultimæ ac simplices concipiuntur, conveniunt inter se in ratione differentiæ, ac *talitatis*, nam omnes sunt differentiæ, ideoque similes in hoc. Quæro ergo, utrum ejusmodi *talitates* ac differentiæ conveniant inter se ac discrepent per eandem simplicissimam naturam rationemque an per diversas. Si per diversas, simplices non sunt, nec erit ulla differentia simplex possibilis, siquidem nulla est, quantumvis simplex, quæ non differat ab aliis, et non etiam conveniat cum iisdem in communi ratione differentiæ, atque in munere determinandi aut contrahendi aliam notionem. Si autem per eandem rationem differentia una potest aliis simul esse similis ac dissimilis; dic idem de omnibus differentis entis, quod licet differant inter se, nihilominus etiam conveniant in ratione communi entis, quin ad hoc opus sit fingere rationes præcise diversas (2).

Resp. 2.^o *neg. consequentiam* secundi membri, quod assumitur in objectione. Quia non repugnant unam eandemque differentiam simplicissimam per seipsam diversam esse ab alia, etiamsi cum illa conveniat in communi ratione entis. Ea vero, quæ hoc modo per unam simplicem rationem conveniunt, ac discrepant, dicuntur *primo diversa esse*, non vero proprie differre; quæ enim proprie dicuntur *differre*,

(1) Apud Suar. loc. cit. n. 3.

(2) Lossada, loc. cit. n. 80.

habent aliam rationem distinctam per quam conveniunt. Et sic species vel etiam genera non suprema proprie *differunt* inter se, quia coalescunt ex ratione generica, in qua conveniunt, et differentia superaddita, per quam discriminantur, genera vero suprema, utpote simplicissima, et non composita ex alia superiori ratione communi ultimaque differentia, se totis discrepant, ac primo diversa sunt (1).

Objic. 3.^o Perseitas v. g. (et idem dici potest de quavis alia differentia) non definitur per ens *in recto*, sed in obliquo. Ergo non includit essentialiter ens.

Antecedens patet, quia perseitas describitur *determinatio entis ad substantiam*, seu *talitas entis*: ubi ens ingreditur non in recto, sed in obliquo.

Resp. *dist. ant.*, immediate *transeat*, id enim necessarium non est ad transcendentiam, ut jam supra notavimus. Saltem mediate non definitur perseitas per ens, *neg.* Quid enim, quæso, est talitas vel determinatio entis positiva? Nonne est aliquid aptum ad existendum, et prout tale necessario apparet, rite perpendenti?

Ad probationem *distinguo* illatum, in illa descriptione perseitatis ens ingreditur in obliquo secundum modum significandi, *conc.*, secundum rem ipsam, *neg.*

Cæterum plures conceptus continent in recto id ipsum, quod ex modo significandi connotant in obliquo: tales sunt v. g. hi: natura *caloris*, essentia *perseitatis* quidditas *entis*, intrinseca possibilitas *entis* etc. Quis dicat in his exemplis *calorem*, *perseitatem*, *ens* significari quoad *rem ipsam* simili modo ac significantur *Petrus*, *Deus*, *nasus* in his aliis exemplis, domus *Petri*, creatura dependens essentialiter a *Deo*, magnitudo *nasi*? (2).

Objic. 4.^o Nihil adjacet ac supervenit sibi ipsi. Atqui perseitas (idemque intelligatur de quavis alia differentia) definitur ut quædam forma enti adjacens ac superveniens. Ergo.

Resp. *conc.* Major, et *neg.* primam partem Minoris, si proprie loqui velimus. Nam illæ formæ proprie adjacent et

(1) Cfr. Suar. loc. cit. n. 18.

(2) Cfr. Lossada loc. cit. cap. 5, n. 92.

prout tales vere concipiuntur; quæ non comprehendunt in sua essentia subjectum, cui accidunt.

Disting. secundam partem Minoris: definitur ut forma superveniens enti, tamquam aliquid ab eo mutuo distinctum, *neg.* non mutuo distinctum, *trans.* Nam «perseitas non definitur, neque concipitur ut adjacens ac superveniens enti tamquam differentia proprie talis, vel tamquam forma subjecto addita cum distinctione mutua, ut cum eo compositionem faciat; sed solum tamquam quid ab ente distinctum non mutuo, contrahensque ac limitans indifferentiam entis ut sic absque compositione metaphysica» (1), quemadmodum mox declarandum est. Quia licet perseitas contineat ens, nec proinde ab eo distinguatur, at vero *ens* non continet perseitatem, atque adeo ab ea distinguitur. Quare perseitas potest quidem dici supervenire *enti*, non autem propterea supervenit sibi ipsi, *quia ens, cui supervenit, non est ipsa, licet ipsa sit ens* (2). Ob id scite S. Thomas docet *quod omnes alia conceptiones accipiuntur ex additione ad ens. Sed enti non potest addi aliquid quasi extranea natura* (en exclusam mutuam distinctionem) *per modum, quo differentia additur generi, vel accidens subjecto, quia quælibet natura essentialiter est ens; sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum expriment ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur* (3).

Objic. 5.^o «Substantia formaliter differt ab accidente. Sed non differt in ratione formali entis. Ergo differt in aliqua formalitate, quæ non sit ens; quæ formalitas nequit alia esse nisi perseitas» (4).

Resp. *dist. Minor.*; non differt in ratione formali entis cognita sub conceptu *ens, conc.*, ut cognita sub conceptu perseitatis, *neg.*

Substantia et accidens possunt concipi prout *entia*, et prout *talia entia*. Si primo modo concipiuntur, conveniunt, non discriminantur; si vero altero modo concipiuntur, differunt jam inter se. Nequeunt tamen hoc altero modo concipi

(1) Lossada, ib. n. 93.

(2) Lossada, ibid.

(3) S. Thom. *de Verit.* q. 1, a. 1.

(4) Lossada ib. n. 104.

expresse prout talia, quin simul implicite prout entia intelligantur, quia ipsæ talitates ac determinationes sunt aliquid reale ac proin definibile per *ens*. Non est porro repugnantia in eo quod duo, quæ concepta sub certa expressione prorsus conveniunt, et non discrepant, discrepent concepta sub alia expressione, licet hæc alia expressio priorem implicite et confuse contineat (1).

Instabis. Atqui confuse et implicite etiam ratio animalis v. g., vel alia quævis generica, continet inferiora sua, quin tamen illa formaliter in se includat.

Resp. disparitas est, quia ratio generica non continet *actu* inferiora, sed solum in potentia; e converso differentie continent *ens actu*.

Objic. 6.^o «Substantia non differt ab accidenti per illud prædicatum, cuius tota ratio formalis convenit accidenti. Sed si perseitas nihil habet, quod non sit formaliter ens, tota ratio formalis perseitatis accidenti convenit, estque de conceptu formali accidentis. Ergo substantia non differt formaliter ab accidenti per perseitatem.» Ergo admissa transcendentia, non potest dici substantia discrepare ab accidente in perseitate.

Probatur Minor. Nam tota ratio formalis perseitatis est ratio entis, et hæc tota convenit accidenti.

«Vel aliter. Admissa transcendentia, nulla ratio formalis invenitur in substantia, quæ non sit formalis ratio entis. Sed tota formalis ratio entis convenit accidenti. Nulla ergo ratio formalis in substantia invenitur, quæ non conveniat accidenti; a quo proinde nullo ex capite formaliter differet substantia» (2).

Resp. 1.^o Retorqueri posse argumentum in casu duarum vel plurium *differentiarum ac talitatum*: in quarum nulla invenitur aliquid, quod non sit formaliter differentia vel *talitas*; et nihilominus differunt inter se.

Retorquetur præterea argumentum in sensu reali: Nam concedunt, saltem plures adversarii, et omnes debent concedere, differentias et modos quoad rem ipsam identificari

(1) Lossada, ib. n. 104.

(2) Apud Lossada, n. 105.

cum ente. Ergo quidquid realitatis est in substantia, est realiter ens, et similiter quidquid est in accidente. Quomodo ergo differt realitas substantiæ a realitate accidentis?

Resp. 2.^o in forma, *neg.* Minor.

Ad probationem primo modo propositam *conc.* assert., sed *neg.* conseq. Quia licet tota ratio formalis perseitatis sit ens, et similiter tota ratio formalis accidentis; at vero non e converso ratio entis est *tota ratio* formalis perseitatis nec *tota* formalis ratio accidentis. Et hæc identitas non mutua, ob quam ratio entis et ratio formalis differentiarum non invicem convertuntur, sufficit ad hoc, ut differentie illæ substantiæ et accidentis et aliæ quævis distinguantur inter se. Exemplum habes in calore v. g. quatuor et octo graduum, qui certe sunt diversi gradus: et nihilominus in calore quatuor graduum non est nisi calor, et similiter in calore octo graduum. Verum quia non est idem calor et calor quatuor aut octo graduum, sed calor quatuor graduum est certus calor determinatus, itemque calor octo graduum; pro diversitate harum determinationum diversus existit calor. Ita etiam differentie distinguuntur, quia sunt diversæ expressiones entis.

Ad probationem altero modo propositam, pariter respondeo cum distinctione. Admissa transcendentia, nulla ratio formalis invenitur in substantia, quæ non sit formalis ratio entis, ita tamen ut formalis ratio entis non sit vicissim tota ratio formalis substantiæ, *conc.*, per identitatem mutuam, *neg.* (1).

Instabis. «Substantia formaliter sumpta, vel est ens tantummodo, vel est ens et aliquid aliud. Si dicatur primum, substantia non differet formaliter ab accidente, quod pariter erit ens præcise (seu tantummodo ens). Si secundum, jam in substantia dabitur prædicatum ab ente distinctum, adeoque non transcensum formaliter ab ente» (2).

Res. 1.^o Retorqueo, ut in præcedentis objectionis solutione.

Res. 2.^o *Conc.* Major. et eligo alterum membrum sub distinctione: substantia est aliquid aliud alietate non mutua, *conc.*, alietate mutua, *neg.*

(1) Vide Lossada, ib. n. 105, 106, 107.

(2) Lossada ib. n. 108.

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Et simili modo potuisset explicari primum membrum disjunctionis. Nam substantia certe non est solum ens, id est, *ens ut sic*, est tamen solum ens hoc sensu, ut quidquid continet substantia, sit ens, seu nihil habeat, quod non sit essentialiter ac formaliter ens (1).

Objic. 7.^o Si perseitas est formaliter ens, erit tota quidditas entis. Ergo 1.^o non erit substantiæ differentia: 2.^o nec erit contractio seu determinatio entis ad substantiam: 3.^o et consequenter ens non erit contrahibile vel determinabile ad inferiora per aliquid superadditum, sed determinabitur per seipsum: 4.^o Hinc inepte substantia definitur *ens per se*, sicut inepte definiretur homo per animal rationale, si rationale idem foret formaliter, atque animal (2).

Resp. *Conc.* antec., quia revera substantia et perseitas solum differunt penes modum significandi, sicut ens et entitas, aptum existere et aptitudo ad existendum; quæ proprie loquendo non distinguuntur, sed solum se habent tamquam concretum et abstractum (3).

Ad 1.^m illatum, *conc.*; quia revera ens non habet proprias differentias, quæ *naturam extraneam* a ratione contrahenda menti exhibeant.

2.^m illatum *dist.* Perseitas non est contractio seu determinatio per modum additamenti rationis alicujus extraneæ, quæ præscindat ab ente, *conc.*, per modum majoris expressionis, quæ restringat ac limitet amplitudinem entis, *neg.*

3.^m illatum *neg.* Nam modi entis superadduntur communissimo conceptui entis, quia non includuntur formaliter in hoc entis conceptu, licet illum ipsi formaliter includant. Unde non contrahitur per seipsum, quia inter ens et modum contrahentem intercedit distinctio non mutua; licet enim perseitas sit formaliter ens, non e converso.

4.^m denique illatum, *neg.* Quamquam enim *ens per se* non sit veri nominis definitio, quæ constat genere ac differentia, et ens nec est genus, nec habet proprias differentias, est

(1) Ibid. Cfr. n. 100, 110.

(2) Apud Lossada, n. 111.

(3) Vide Suarez, disp. 2, sect. 6, n. 12.

tamen apta descriptio, utpote continens *explicite* conceptum, in quo convenit substantia cum accidente, *ens* nimirum, et *explicite* etiam declarans expressionem determinatam *perseitatis*, per quam discriminatur ab accidente, quamvis hæc ipsa expressio *implicite* contineat rationem communem entis, propter transcendentiam. Quare verum non est *ens per se* secundum nostram sententiam idem valere, *ac ens et ens*; sonat enim *ens tale*, seu ens hujus peculiaris expressionis (1).

Plura si cupis, adi Ludovicum Lossada, Joannem B. De Benedictis, aliosque auctores superius laudatos.

ARTICULUS II.

Utrum detur unus conceptus entis ab inferioribus præscindens.

46. Difficultas hujus controversiæ in eo est, quod conceptus entis transcendat differentias suas. Si enim quævis differentia est formaliter ens, conceptu ipso entis contineri videtur; si autem differentia entis in conceptu entis continentur, non potest ens intelligi a suis differentiis præcisum et abstractum. Ex altera vero parte hoc videtur experientiæ repugnare, siquidem audito nomine *entis* videmur sic *aptum ad existendum* cogitare, ut considerationem avocemus ab hoc, quod illud sit *Deus* vel *creatura, substantia* vel *accidens*.

Ad solvendum aliquo modo hunc modum, revocanda est in mentem distinctio illa vulgaris conceptus *formalis* et *objectivus*. Formalis est actus ipse, quo intellectus objectum aliquod cognoscit; et objectivus est res ipsa vel ratio præcise, prout hic et nunc per formalem conceptum seu actum mentis repræsentatur. Primus dicitur proprie et intrinsece conceptus quasi partus mentis; alter vero solum per denominationem extrinsecam a formali conceptu. «Unde colligitur differentia inter conceptum formalem et objectivum; quod formalis semper est vera ac positiva res, et in creaturis qualitas menti inhærens, objectivus vero non semper est

Ratio difficultatis aperitur

Conceptus formalis et objectivus.

(1) Vide Lossada ib. n. 111-14.